

INSTRUCTIO AD EDITIONEM

Praemissa

Institutum Historicum Polonicum Romae, capto consilio de edendis omnibus epistulis et actis nuntiorum apostolicorum in Polonia, sibi imprimis proponit: a) rerum gestarum studiosis, praecipue Polonis, minus arduum reddere aditum ad copiosissimum corpus fontium, qui non prorsus ignoti quidem sunt, sed hactenus minima tantum ex parte a viris doctis explorabantur et usurpabantur; b) activo modo se inserere operae illorum, qui in aliis Europae regionibus eiusmodi editionibus incumbunt (*Nuntiaturberichte*); c) coordinare magisque uniformes efficere editorum Polonorum conatus, qui superiore bello confecto modo potius selectivo suscipiebantur, et ita desiderio satisfacere eorum, qui reditum vindicant "ad fontium editiones per series faciendas tamquam unicum efficax instrumentum, quo praesenti in hac re dissipationi occurrere possit"¹.

Huiusmodi ergo propositum nostrum re ipsa continuat et continuare cupit labores, a Commissione Historica Academiae Scientiarum Cracoviensis inchoatos, talibus praesertim adhibitis operandi rationibus et methodis, ad quas - non sine multis emendationibus - Academia pervenit illo temporis spatio, quod recens omnium gentium bellum directe praecessit. Praecipuam vero ansam et quasi stimulum ad continuandam eiusmodi editionem Institutum Historicum sibi sumendum existimat ex operibus sui primi moderatoris, Valeriani Meysztowicz, qui ipse elaboravit et publici iuris fecit accuratum repertorium rerum, in illa Tabularii Vaticani parte servatarum, quae *Archivum Nuntiaturae Varsaviensis* nuncupatur, et cuius cura et patrocinio simile repertorium publicatum est ad alteram quoque seriem actorum nuntiaturae Polonae, quae scil. sub nomine *Nunziatura di Polonia* nota est². Post edita supranominata opera, secuta sunt non pauca volumina, litterarum commercium nuntiorum continentia, tam ab ipso Meysztowicz, quam ab aliis Instituti membris publicata³.

Haec facultas omnia acta nuntiaturae Polonae gradatim edendi Instituto Historico oblata est a Fundatione Lanckoroński, promovendis omnis generis studiis res Polonas spectantibus inde ab initio destinata. Institutum tamen Historicum, etiamsi omnia nuntiaturae monumenta per gradus edere sibi

¹ Cfr. L. Łysiak, *O wydawaniu źródeł historycznych* [De edendis fontibus historicis], KH, 90 (1983), p. 145; quod postulatum, quod attinet ad edenda acta nuntiaturae Polonae, repetivit Adalbertus Tygielski, cfr. eius recensionem editionis litterarum commercii Hannibalis de Capua, KH 92 (1985), p. 136.

² Cfr. supra, cap. II, p. 154-155.

³ Cfr. supra, cap. II, p. 166-167.

proponit, minime ius sibi praecipuum vindicat ad eiusmodi editionem curandam. Fontes enim explorandi et in lucem edendi tot et tanti sunt, ut in multos annos multorum editorum diligentiae et labori omnino sufficiant.

Antequam tamen ad editionem ipsam accederemus, operae pretium visum est accuratius examinare historiam studiorum, de nuntiaturis Polonis hucusque peractorum, in comparatione cum laboribus ab historicis et editoribus in aliis Europae regionibus perfectis. Historia in hac re se vere magistram esse ostendit. Praedecessorum enim usus et experientia, praecipue vero Commissionis Historicae Academiae Scientiarum Cracoviensis, necnon illorum editorum, qui in exteris laboris sui uberiores rettulerunt fructum, effectum est, ut et ipsa laboris ordinatio et documenta publicandi ratio diligenter perpendi ac considerari potuerit.

Eiusmodi considerationem secuta est **totius editionis dispositio**. Perpensis enim difficultatibus, in quas incurrerunt editores *Nuntiaturreichichte aus Deutschland* et quas superare vix possunt⁴, statuimus reicere regulam, ab Academia Scientiarum Cracoviensi, exemplo editorum Germanorum receptam et observatam, iuxta quam tota editio in series dividenda esset⁵. In eius locum magis opportunum visum est introducere divisionem in tomos ordine numerico digestam. Talis tamen dividendi ratio, nullo temporum servato ordine, usurpata ab editoribus *Actorum Nuntiaturreichichte Gallicae*, non omnino incommodis est vacua, nam indicat quidem verum certumque numerum voluminum, quae iam sunt edita, sed minus ordinatam reddit chronologiam nuntiaturarum, quarum acta publicata sunt⁶; ratio vero elaborandi et numerandi tomos singulis nuntiaturis dicatos, servato nuntiorum ordine chronologico, quam Itali sequuntur et qua voluminum numerationem cum chronologia conciliare nituntur, minus idonea visa est, postquam apparuit non unumquemque editorem elaborandis pluribus voluminibus, uni tantum nuntio destinatis, vacare posse, et propterea a primis inde voluminibus editionis *Nunziature d'Italia* eorum numerationem lacunosam apparere⁷.

Quam ob rem ad vitanda huiusmodi incommoda, statuto completo omnium legatorum et nuntiorum Sanctae Sedis in Polonia catalogo, decrevimus inde a principio totam editionem ordine chronologico in tomos dividere, unicuique nuntio vel legato unum tomum destinando, qui in tot partes (volu-

⁴ Quas difficultates iam a. 1932 annuntiavit L. Just (EPN, p. 247. Exemplo esse possunt acta nuntiaturreichichte Ioannis Delfino (1571-1573), quorum partem primam ediderunt Austriaci in serie II (NBD II/7: *Nuntius G. Delfino und Kardinallegat G. F. Commendone, 1571-1572*, herausg. von J. Rainer, Graz-Köln 1967), alteram vero Germani in serie III, volumen 6 (NBD III/6: *Nuntiaturreichichte G. Delfinos (1572-1573)*, bearb. von H. Goetz, Tübingen 1982); de hoc incommodo scribit etiam ipse Goetz, cfr. ibidem, p. VII).

⁵ Cfr. supra, cap. II, p. 138.

⁶ ANG. Volumen primum, annos 1535-1540 complectens, sequitur volumen secundum (1583-1586), volumen autem tertium est continuatio primi (1541-1546), etc. (cfr. supra, cap. II, p. 165).

⁷ Ex. gr. in serie *Nunziature di Venezia*, post editionem annis 1958-1960 duorum primorum voluminum, a. 1967 publicatum est volumen quintum; ad hodiernum usque diem desiderantur volumina 3-4. Similiter in *Nunziature di Napoli* deest volumen 2 (cfr. supra, cap. II, p. 163).

mina) subdividi poterit, quot necessitas postulabit⁸. Adhibita tali dividendi ratione - ab editoribus nuntiaturae Coloniensis iam recepta et comprobata⁹ - licebit parandae editioni actorum cuiuslibet nuntii operam dare, quotiescumque idoneus eorum editor ad manum esse poterit; licebit quoque cogitare et temptare editiones, varias historiae humanae aetates respicientes. Cum tamen et hic dividendi modus id habeat incommodi, quod tomi in lucem prodire poterunt non servata eorum numerica successione, propterea - ut eiusmodi malo ex parte saltem occurratur - in appendice huius introductionis apponere placuit completum indicem tomorum una cum tabulis, continentibus principales notitias de unoquoque nuntio vel legato pontificio, qui in Polonia munere suo fungebatur.

Alia quae orta est quaestio fuit, **a quo nuntio incipienda et in quo finienda esset editio**. Editores Germani a. 1892 inchoaverunt suos *Nuntiaturlberichte* a Petro Paulo Vergerio, qui annis 1535-1536 munere nuntii apud imperatorem functus est¹⁰, cum non pauca acta nuntiorum, qui illum antecesserunt, iam prius edita sint¹¹. Cum tamen postea alia documenta, illuc usque ignota, reperta sint, vetustiores autem editiones minus accurate elaboratae vel accessu difficiliore fuerint, ab a. 1963 in appendice ad primam seriem (1533-1559) coepta sunt publicari "volumina integrantia", incipiendo inde a legatione card. Laurentii Campeggio et nuntiatura Hieronymi Aleandro (1530-1532)¹². A. 1958 Franciscus Gaeta inchoavit editionem actorum unius ex veterrimis nuntiaturis, scil. nuntiaturae Venetae (a. 1485 institutae), non nisi ab a. 1533, argumentum adducens documenta anteriora nimis imperfecta et disiecta esse¹³. Nihilominus tamen eodem adhuc anno extra ordinem edidit 153 documenta, ad tempus ante a. 1533 spectantia¹⁴. Similiter et Galli nuntiaturae suae editionem ab a. 1535 incoeperunt, nam pars actorum nuntiorum, qui Clemente VII pontifice maximo (1523-1534) fuerunt, iam a I. Fraikin a. 1906 publicata erat¹⁵. Nunc autem a nimis multis vetustioris nun-

⁸ Internuntii et legati extraordinarii inserentur volumini illius nuntii, cum quo vel post quem munere suo fungebantur.

⁹ Non restiterunt tamen temptationi volumina iterum in partes dividendi, cfr. NBD *Kölnner Nuntiaturlberichte* V/1,1 et V/1,2.

¹⁰ Cfr. supra, cap. II, p. 112.

¹¹ I.a. commercium litterarum Laurentii Campeggio ex annis 1524-1525 editum est una cum epistulis nuntii Budensis, Ioannis Pulleoni, a V. Fraknó (Relationes oratorum pontificiorum 1524-1526, Budapest 1884).

¹² NBD, I. Abteilung (1533-1559), Ergänzungsbände 1-2, bearb. G. Müller, Tübingen 1963-1969.

¹³ Cfr. *Nunziature di Venezia*, Vol. 1 (12 III 1533 - 14 VIII 1535), a cura di F. Gaeta, Roma 1958, p. IX. Similiter P. Villani editionem actorum nuntiaturae Neapolitanae non nisi ab a. 1570 incepit (Roma 1962).

¹⁴ Cfr. F. Gaeta, *Origine e sviluppo della rappresentanza stabile pontificia in Venezia (1485-1533)*, "Annuario dell'Istituto Storico Italiano per l'Età Moderna e Contemporanea", 9-10 (1957-1958), p. 63-281. In eodem volumine P. Villani edidit 242 epistulas nuntiorum Neapolitanorum ex annis 1523-1569 (ibidem, p. 337-539).

¹⁵ Vide introductionem I. Lestocquoy ad primum volumen ANG, p. XIV; cfr. supra, cap. II, p. 135.

tiaturae editoribus, qui fortuito hic atque illic apparent, fastidio afficiuntur¹⁶.

Editionem actorum nuntiaturae Polonae Commissio Historica Academiae Scientiarum a Ioanne Andrea Caligario (1578-1581) inchoavit, quia documenta ad illius legationem attinentia aliis completiora atque perfectiora visa sunt, dum acta praedecessorum eius disiecta ac sparsa et partim iam edita erant¹⁷. Anno tamen 1906 Vincentius Zakrzewski ad elaborandas nuntiaturas annorum 1555-1572 iterum se convertit¹⁸. Illo ipso tempore nata est opinio, iuxta quam nuntiatura apostolica in Polonia a. 1555 ab Aloisio Lippomano initium sumpsit, quamquam ipse V. Zakrzewski et postea Ioannes Fijalek noscebant quoque et exscribebant documenta, ad missionem Hieronymi Martinengo a. 1548 peractam pertinentia¹⁹.

Ulterius retrocedere nolumus. Haec praesens editio incipit a Zacharia Ferreri (1519-1521), non solum propterea, quod munus eius in Polonia expletum omnes prae se ferebat proprietates, quae ad stabilem et permanentem nuntiaturam requiruntur²⁰, verum etiam quod actis eius hic illic sparsis in unum congestis et reperto hactenus ignoto litterarum commercio cum magno Ordinis Theutonicorum magistro, Alberto ab Hohenzollern, sufficiens exstat documentorum copia, quae publicari possint, spes vero plura inveniendi fere nulla est. Quamquam successores eius usque ad Hieronymum Martinengo, qui vel extra fines Poloniae residebant, vel ad quaedam urgentia tantum negotia expedienda in eam veniebant, non multa quidem acta et litterarum commercia post se reliquerunt, opportunum tamen nobis visum est ea in unum congerere et in primo tomo publici iuris facere, ne omnino pereant, neve in posterum necesse sit ad ea quaerenda se iterum convertere. His omnibus consideratis satis explicatur, cur acta, quae in tomo "nuntiis minoribus" dedicato publicentur, tam quoad eorum pondus quam formam, inter se varia atque disparata sint, et cur tomus secundus nonnihil differat a sequentibus, quibus successorum acta typis excudentur.

Quod attinet ad terminum "ad quem", consultum nobis visum est editioni nullos imponere limites, sed eam usque ad finem ita disponere et ordinare, ut - oblata opportunitate nuntiorum recentiorum acta publicandi - non sit necesse intra editiones iam existentes novas inchoare series²¹, vel tomos extra

¹⁶ Cfr. G. Rucellai, *Lettere dalla Nunziatura di Francia (1520-1521)*, a cura di G. Falaschi, Roma 1983.

¹⁷ Cfr. supra, cap. II, p. 117.

¹⁸ Ibidem, p. 137-138.

¹⁹ Ibidem, p. 149.

²⁰ Cfr. supra, cap. I, p. 3.

²¹ A. 1973 Institutum Austriacum Scientiarum et Cultus Civilis Romae inchoavit, intra seriem "Nuntiaturreberichte", seriem separatam (Sonderreihe) pro nuntiatura Gracensi, quarum acta edere coeperat ab a. 1580 (cfr. supra, cap. II, p. 161); a. 1956 Belgae seriem suam "Nonciature de Flandre" (intra "Analecta Vaticano-Belgica") in 3 sectiones diviserunt: Flandriensem, Bruxellensem et Coloniensem (cfr. supra, cap. II, p. 162).

ordinem edere²², vel denique novam prorsus editionem cogitare²³. Hic etiam praedecessorum usus et experientia valida nobis argumenta suppeditat. Primi enim editores, considerata ingenti novorum documentorum mole, non nisi litterarum commercium nuntiorum saec. XVI edendum esse censuerunt; illorum successores (1900-1914) explorandis documentis saec. XVII vacare coeperant, Ignatius autem Dengel divulgandis ex parte litterarum commercii nuntiorum saec. XVIII animum intendit²⁴; superiore bello finito, Belgae et Hispani constituerunt etiam nuntiaturas saec. XIX publici iuris facere²⁵. Procedente tempore ineditorum monumentorum antiquorum copia minuitur, et cum nova creantur, magno studio et desiderio illa vetustiora a rerum gestarum studiosis acceptari solent. Quapropter in hanc editionem etiam nuntiaturae, quae temporis spatio, duobus superioribus omnium gentium bellis circumscripto, fuerunt, inseruntur, ea tamen lege, ut earum publicatio ad nostrae aetatis normas eiusmodi documenta edendi accommodetur²⁶.

Quid est edendum? Cum a. 1881 Tabulario Vaticano patefacto, viri docti investigandis nuntiaturis vacare coepissent, in inquirendam imprimis rerum politicarum historiam magno ardore et studio se converterunt, qui autem historiae ecclesiasticae studebant, similiter in eius aspectum politicum et administrativum imprimis intenti erant. Ita fere omnes, una cum sodalibus Academiae Scientiarum Cracoviensis, in cumulandis et publicandis diplomaticis litterarum commerciis, quae inter nuntios et Secretariatum Status intercedebant, omne studium posuerunt. Post superius tamen confectum bellum rerum politicarum nimia quaedam satietas et taedium inter viros doctos subsecuta sunt et saepe saepius a nonnullis dubia movebantur de utilitate commercii epistularum nuntiorum ad explorandas alias historiae partes, praecipue ad historiam Ecclesiae et cultus civilis cognoscendam²⁷. Multi postulaverunt, ut editio ad alios quoque fontes a nuntiaturis prolatos extenderetur, admonitionem illam fatidicam Leonis Just in memoriam revocantes, qui iam a. 1933 vaticinabatur forte in posterum eiusmodi fontes prorsus aliter aestimatum iri²⁸, et palam ostendit, quam magni momenti essent acta iudiciaria, imper-

²² Cfr. *Correspondance inédite entre Mgr. Antonio Garibaldi, internonce à Paris, et Mgr. Césaire Mathieu, archevêque de Besançon*, par P. Poupard, extra seriem in appendice ad ANG editam.

²³ Instar editorum Hispanorum, cfr. supra, cap. II, p. 162-163.

²⁴ Cfr. L. Just, in discussione in X Conventu Historiae Studiosorum Romae, a. 1955 celebrato (*Atti*, p. 171).

²⁵ Integra sectio nuntiaturae Bruxellensis comprehendit nuntiaturam saeculi XIX; quod attinet ad Hispanos, cfr. F. Diaz de Cerio SJ, *Regesto de la correspondencia de los obispos de España en el siglo XIX con los nuncios, segun el Fondo de la Nunciatura de Madrid en el Archivo Vaticano (1791-1903)*, Vol. 1-3, Città del Vaticano 1984 (Collectanea Archivi Vaticani, 18-20).

²⁶ I. Ihnatowicz, *Projekt instrukcji wydawniczej dla źródeł historycznych XIX i początku XX wieku* [Adumbratio instructionis ad edendos fontes historicos XIX et initii XX saec.], SZ 7 (1962), p. 99-124.

²⁷ Cfr. G. Alberigo, *Diplomazia e vita della Chiesa nel XVI secolo*, "Critica Storica", 1 (1962), p. 52; H. Lutz, *Nuntiaturberichte aus Deutschland*, QFIAB 45 (1965), p. 319-320.

²⁸ Cfr. H. Kramer, *Die Erforschung*, p. 503.

titiones gratiarum, necnon nuntiorum litterarum commercia cum praesulibus ecclesiasticis et proceribus regionum, in quibus munere suo functi sunt²⁹. Eiusmodi postulata, quamvis iterum atque iterum in variis disputationibus moveantur et extendantur etiam ad alia fontium genera (ut sunt "avvisi", diaria, epistularum commercium cum congregationibus Romanis, praecipue cum Congregatione de Propaganda Fide)³⁰, minimam tamen vel omnino nullam vim exercuerunt in bonitatem editionum, quae ad nostros usque dies in lucem prodierunt³¹. Uni Belgae in eorum serie edere statuerunt 3 volumina documentorum, ad controversias de iurisdictione nuntiorum, quae in Germania Inferiore saec. XVII et XVIII exarserunt, pertinentium³², initium facientes novi generis explorationum et editionum, quae ipsius nuntiaturae, uti instituti, historiam respicerent³³. Postulatorum Leonis Just rationem partim habent doctrinae eius heredes, Societatis Goerresianae sodales, editores seriei *Nuntiaturae Coloniensis* (Die Kölner Nuntiatuur). Itaque adhuc a. 1969 Burchardus Roberg publicavit solum litterarum commercium nuntii Octavii Frangipani cum Secretariatu Status³⁴; a. autem 1972 Volfgango Reinhard opportunum visum est litterarum commercio Andreae Albergati in appendicibus inserere etiam maioris momenti documenta, ab eodem nuntio Romam missa, licet ipse eorum auctor non fuerit³⁵; a. 1980 J. Wijnhoven publici iuris fecit etiam epistularum commercium Petri Ludovici Caraffa cum congregationibus Romanis, necnon eiusdem nuntii documenta, ad impertitionem gratiarum et dispensationum et causas iudiciarias pertinentia, et in appendice adiunxit varii generis scripta selecta, quae Italice "avvisi" vocantur³⁶; anno vero 1983 Roberg in volumine, quo editio nuntiaturae Frangipani clauderetur, etiam in appendice publicandas curavit selectas partes litterarum commercii eiusdem nuntii cum aliis, quam sunt secretarii status, personis, nec-

²⁹ L. Just EPN, p. 252-254.

³⁰ Cfr. G. Lutz GGN, p. 262, 268, 274; de "avvisi" cfr. Repgen, *Zur Diplomatie*, RQ 49 (1954), p. 123-126.

³¹ Etiam recens inchoata editio actorum nuntiaturae Lusitanae complectitur tantummodo diplomaticum litterarum commercium (cfr. *La correspondance des premiers nonces permanents au Portugal, 1532-1553*, Ed. Ch.-M. de Witte, Vol. 2, Lisboa 1980).

³² Cfr. NF 7: *Documents relatifs à l'admission aux Pays-Bas des nonces et internonces des XVII et XVIII siècles*, par J. et P. Lefèvre, Bruxelles-Rome 1939; NF 8: *Documents relatifs à la juridiction des nonces et internonces des Pays-Bas pendant le régime espagnol (1596-1707)*, par J. Lefèvre, Bruxelles-Rome 1943; NF 9: *Documents relatifs à la juridiction des nonces et internonces des Pays-Bas pendant le régime autrichien (1706-1794)*, par J. Lefèvre, Bruxelles-Rome 1950.

³³ Cfr. L. Just EPN, p. 251-158. Recens eiusmodi investigationem nuntiaturae Florentinae suscepit L. Baldisseri, *La Nuntiatuur in Toscana*, Città del Vaticano-Guatemala 1977.

³⁴ Bd II/2: *Nuntius Ottavio Mirto Frangipani (1590 August - 1592 Juni)*, bearb. von B. Roberg, München 1969.

³⁵ Bd V/1, 1 Halbband: *Nuntius Antonio Albergati (1610 Mai - 1614 Mai)*, bearb. von W. Reinhard, München 1972; cfr. adnotationes editoris in p. LII.

³⁶ Bd VII/1: *Nuntius Pier Luigi Carafa (16.. Juni - 1627 August)*, bearb. von J. Wijnhoven, Paderborn 1980; cfr. explanationes editoris in p. LXVI.

non eius facultates et descriptionem vitae, illi contemporaneam³⁷.

Larga autem manu, ut ita dicamus, nova genera fontium edere coeperant editores, nulla in hac re a maioribus tradita memoria onusti. Itaque Athanasius Welykyj OSBM, qui inde ab a. 1954 integrum commercium litterarum nuntiorum cum Congregatione de Propaganda Fide et alia scripta ("avvisi"), ad historiam Ucrainae attinentia, publicare coeperat, commonstravit, quantum opere eiusmodi novi fontes aspectu suo religioso locupletare possent tritum et aridum epistularum commercium inter nuntios apostolicos et varias auctoritates publicas intercedens³⁸. Idem dici potest de registris nuntiorum saeculi XIX epistularum commercii cum episcopis Hispanis³⁹ et de supplementis ad epistulas nuntiorum apostolicorum in Helvetia, quae ex hactenus prorsus ignorata collectione, *Positiones* dicta, veteris tabularii Congregationis Episcoporum deprompta sunt⁴⁰.

Consideratis supradictis et habita ratione necessitatum Polonorum historiae studiosorum, qui fontibus extra fines Poloniae asservatis maxime opus habent, Instituti Historici Polonici Romae moderatoribus opportunum et consultum visum est in hanc praesentem editionem **omnia includere documenta, quae vel a nuntiatura Polona edita vel ad eam missa sunt**. Publicabitur ergo - praeter litterarum commercium diplomaticum - officiale epistularum commercium, quod inter nuntios apostolicos et Sedis Apostolicae ministeria, aulam regiam, proceres et praesules Polonos intercedere solebat. Nec praetermittentur epistolae privatae, praesertim illorum, qui in comitatu nuntii erant, documenta officialia (dispensationes, indulgentiae, citationes, acta iudicialia, collatio beneficiorum) et variae novitates ("avvisi"), quae a nuntiis ad Secretariatum Status transmittentur. Quae omnia scripta - una cum litteris credentialibus et commendaticis, necnon instructione et facultatibus nuntii - "in corpore" singulorum voluminum ordine chronologico publicabuntur. In appendice autem collocabuntur documenta, quorum tempus, quo data sunt, ad maius spatium extenditur: diaria legationum, relationes officiales et descriptivae, acta ("verbalia") causarum iudicialium et processuum informativorum de candidatis ad episcopatum, quotiescumque a nuntio peracti et nominis eius subscriptione firmati erant. Omnia id genus documenta (exceptis tantummodo relationibus officialibus) ab editoribus Cracoviensibus omittentur, neque eorum ratio habetur a nostrae aetatis editoribus, qui in Europa occidentali actis nuntiaturae typis divulgandis vacant. Sunt tamen illa sensu stricto nuntiaturarum opera, a nuntiis edita, quae ad morum et cultus civilis historiam investigandam maximi momenti esse

³⁷ Bd II/4: *Nuntius Ottavio Mirto Frangipani (1594 Januar - 1596 August)*, bearb. von B. Roberg, Paderborn 1983.

³⁸ Cfr. supra, cap. II, p. 164-165.

³⁹ Cfr. supra, notam 25.

⁴⁰ Cfr. A.-J. Marquis SMB, *Die Nuntiatur von Giovanni Franco Bonhomini in der Schweiz (1579-1581)*, Ergänzung (1578-1579), "Der Geschichtsfreund", 133 (1980), p. 163-247.

videntur.

Iam titulus nomenque totius editionis nostrae, quae *Acta Nuntiaturae Polonae* inscribitur, clare indicat, cuiusmodi documenta publicare in animo habeamus, comprehendit enim omnes partes actionis et operae legatorum et nuntiorum Sanctae Sedis penes reges Poloniae et publicas auctoritates II Reipublicae Polonae, cuius fontes a nuntiaturis prolati testes sunt.

Hoc audax consilium nostrum - severe tamen definitum et circumscriptum, ad singula edendorum fontium genera quod attinet - ea etiam mente iniimus, ut a recepto olim Academiae Scientiarum Cracoviensis proposito "silvam rerum" edendi (scil. epistulas summorum pontificum, regum et principum, cardinalium, oratorum Polonorum apud Sedem Apostolicam etc.) recederemus⁴¹. Nonnulla tantummodo eiusmodi documenta hucusque ignota, ex patrimonio legatorum et nuntiorum apostolicorum selecta, in singulorum voluminum appendicibus publici iuris fient. **In appendice autem ad hunc primum tomum** totius editionis publici iuris facere volumus illa documenta, quae ad ipsam nuntiaturam Polonam uti institutum referuntur, quaeque illius originem, organisationem, problemata ac modum agendi in Polonicis rerum adiunctis toto historiae spatio illustrent.

Facile etiam patet, sic cogitatae editionis fundamentum esse non posse documenta saec. XVI et XVII, quae a participibus Expeditionum Romanarum Academiae Cracoviensis olim collecta erant, eo vel magis, quod in genere etiam suo eorum apographa nimis imperfecta et incompleta sunt, necnon diutina et laboriosa cum originalibus collatione indigent⁴². Multo itaque consultius et utilius visum est, ipsis documentis prius bene examinatis et descriptis, photographis taeniolis (microfilm) et originalium xerocopiis, quas vocant, fidem dare. Exceptio admissa est ad acta nuntiaturae Iulii Ruggieri (1565-1568) quod attinet, quae a Thaddaeo Glemma iam elaborata et praeparata sunt⁴³. Cum originalibus collata et expleta, in uno ex huius editionis voluminibus publicabuntur.

Quomodo edendum? Cum ob magnam argumentorum copiam, quae in fontibus tractantur, tum ob crescentem in annos ipsorum fontium multitudinem, omnia quidem documenta, quae vel ab ipsis nuntiis vel eorum adiutoribus edita, sive ad eos missa erant, integre ("in extenso") publicari non poterunt. Omnia tamen - sub regestorum saltem forma - sub numero unumquodque suo, debito ordine annotabuntur. Ita enim praevenire intendimus criminationes, in quas editores fere omnes incurrere coacti sunt, qui in fontibus edendis selectionem admiserunt⁴⁴. Nam regulae et iudicia, quae eius-

⁴¹ Cfr. consilium Vincentii Zakrzewski, de quo in cap. II loquimur (vide p. 138); cfr. H. D. Wojtyńska SP, p. 204.

⁴² Necessitatem eiusmodi collationis significavit G. Kłoczowski (*Kwerenda polska*, p. 257).

⁴³ Cfr. supra, cap. II, p. 153.

⁴⁴ Praesertim K. Schellhass, editor *Der Dominikaner Felician Ninguardia und die Gegenreformation*

modi selectionem regunt, plerumque ambigua et incerta sunt⁴⁵. Annotare autem suo loco omnia, quae reperta sunt, documenta, facilius est et minus laboriosum, quam iterum atque iterum novas suscipere investigationes in tabulariis iam semel exploratis, quae saepe illis, qui alias res quaerunt quam quae eis ab editore proponuntur, accessu difficiliora esse solent⁴⁶.

Cum omnes nuntiaturarum editores in eo una consentiunt, ut textus saec. XVI *in extenso* edantur, nullis adhibitis abbreviationibus vel omissionibus, etiam illarum partium, quae ad exterarum regionum referuntur⁴⁷, in edendis Actis Nuntiaturae Polonae eiusmodi regula observatur etiam, cum de documentis subsequentium saeculorum agitur, ea tamen lege, ut textus minoris momenti - etiam quod attinet ad saeculum XVI - *sub forma regestorum* publicentur, quorum numerus augebitur, crescente documentorum copia ad saec. XVII et XVIII pertinentium. Licet enim nonnulli editores, ingenti mole documentorum ad illa saecula spectantium perterriti, omnino statuerint ea tantummodo in epitomen cogere, id est brevissima eorum summaria seu regesta conficere (I. Dengel, editores Belgae), vel non nisi in inventariis recensere (Olarra, Diaz de Cerio)⁴⁸, vel denique in tabulis secundum argumenta, de quibus tractant, annotare (Bieńkowski)⁴⁹, nobis tamen visum est partem documentorum saec. XVII, XVIII et XX etiam *in extenso* divulgare, considerato magno eorum pondere et momento, eo vel magis, quod timuimus, ne tristem illam et adversam paterentur fortunam, quam tot archivalium volumina saeviente superiore omnium gentium bello cognoverunt. Iure enim merito Leonem Just dixisse existimamus, cum editio nuntiaturarum Bohemica ob nimiam perfectionem reprehenderetur, aliquibus nationibus eiusmodi optionem (scil. quam plurima documenta in extenso publicandi) pro necessitate locorum suscipiendam esse⁵⁰.

in Süddeutschland und Österreich 1580-1583, Bd 1, Roma 1930, et J. W. Woś, editor commercii litterarum Hannibalis de Capua (cfr. supra, cap. II, p. 172).

⁴⁵ Quaestiones cum debita selectione coniunctas optime indicavit L. Just (EPN, p. 245).

⁴⁶ Cuius rei exemplo esse possunt nonnullae epistolae Io. Andreae Caligari ad s. Carolum Borromaeum, in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani servatae, in editione Ludovici Boratyński, quasi parvi momenti essent, omissae. Eis tamen, qui vincula sancti Mediolanensis cum Polonia explorare cupiunt, minime contemnendae esse videntur.

⁴⁷ Cfr. L. Just, *Probleme der Nuntiatorenforschung*, p. 101; a. 1955 O. Halecki in X Conventu Scientiis Historicis Promovendis Romae (*Acti*, p. 167-168, ubi probavit, quanti momenti sit litterarum commercium Germanici Malaspina omnibus historiae Europaeae studiosis); G. Alberigo, *Diplomazia*, p. 66-67; H. Goetz, rogatus ab historicis quibusdam Monacensi et Budapestensi, in editione sua epistularum Hieronymi Martinengo eiusmodi summaria circumscriptis ad textum nullius momenti, cum putaverit: "Besinnung auf das Gemeinsame und nicht auf das Trennende muss daher im Vordergrund stehen" (cfr. NBD I/16: *Nuntiatordes Girolamo Martinengo (1550-1554)*, bearb. H. Goetz, Tübingen 1965, p. XXVII).

⁴⁸ Ita J. et M. Olarra in epitomen coegerunt in singulis fasciculis *Correspondencia entre la Nunciatura en España y la Santa Sede. Reinado de Felipe III (1598-1621)*, Vol. 1-7, Roma 1960-1967 circiter ad 1500 documenta, Diaz de Cerio autem in tribus voluminibus confecit regesta 26096 epistularum (cfr. *Regesto*, ut supra, notam 25).

⁴⁹ L. Bieńkowski ANV, p. 131.

⁵⁰ L. Just EPN, p. 246.

Praeter textus minoris momenti, ea etiam documenta in summariis solum publicabuntur, quae prorsus eadem vel fere eadem sunt cum iam prius in eodem volumine divulgatis. Haec regula imprimis refertur ad tritas formulas documentorum iudicialium et ad quaestiones (interrogationes) in processibus informativis episcoporum usitatas. Longissimi etiam et saeculorum cursu minima tantum ex parte mutati textus "facultatum" nuntiorum in extenso edentur solummodo in volumine primo nuntio dedicato, et in voluminibus nuntiaturarum, quae 50 saltem annorum spatio inter se distant, praesertim si in formula facultatum aliquae mutationes supervenerint; in reliquis tomis non nisi eorum summaria collocabuntur et notae, ad textum in alius nuntii tomo in extenso publicatum remittentes.

Eadem regula observatur etiam, cum de textibus agitur, qui iam in aliis editionibus, nunc aditu facilibus, divulgati sunt. Quod dici imprimis potest de editis epistulis selectis Berardi Bongiovanni, Hannibalis de Capua et Iacobi Cantelmo⁵¹. In editione completa, acta eorundem nuntiorum complectente, epistulae illae iam alias editae suo loco in forma registorum significabuntur. Similiter in epitomen cogentur epistulae et acta nuntiorum, quae ab editoribus Ucrainis iam publici iuris facta sunt⁵². In extenso autem denuo publicabuntur (si id mereri videbuntur) accessu nunc difficiliore et ab editore minus curatae epistulae Vincentii Lauro, a Theodoro Wierzbowski olim editae⁵³, fragmenta litterarum commercii nuntiorum, quae annos 1578-81 comprehendunt, a Turgenev, Šmurlo et Daco-Romanis divulgata⁵⁴, necnon documenta nuntiaturarum, ab Erasmo Rykaczewski et Augustino Theiner publici iuris facta. Eadem regula eo magis referenda est ad textus in versione Polonica olim editos⁵⁵. Documenta principalia (instructiones, relationes finales nuntiorum) semper in extenso publicabuntur, sive iam prius, bene vel male, edita sive non edita sunt⁵⁶.

Ad **scribendi rationem** (ortographiam) quod attinet, omnes editores - post longas disceptationes - inter se consenserunt omnino tutissimum esse, ut - si fieri possit - ea servetur scribendi ratio, quae in textu singulorum documentorum occurrit, tum quod attinet ad usum grandium et minutarum litterarum (maiuscularum et minuscularum), tum ad interpunctiones, quae exemplo Italarum et Germanorum tunc tantummodo corriguntur, ubi cum praeceptis aetate nostra ab omnibus receptis et observatis evidenter pug-

⁵¹ Cfr. cap. II, p. 167, 170, 172.

⁵² Cfr. ibidem, p. 164-165.

⁵³ Cfr. ibidem, p. 113-114.

⁵⁴ Cfr. ibidem, p. 101, 145-147.

⁵⁵ Praesertim ab E. Rykaczewski (*Relacye nuncyuszów*) et B. Malinowski (epistulae Io. Fr. Comendone), cfr. cap. II, p. 101.

⁵⁶ Institutum Historicum Germanicum Romae recepit regulam documenta maioris momenti denuo edendi, cfr. NBDI/16, p. XXVII.

nant⁵⁷. Ita imprimis vocalibus "ij", tam in Latinis quam Italicis textibus saepe usitatis, substituetur simpliciter geminata littera "ii"⁵⁸; in textibus Latinis simplex littera "e" mutabitur in "ae", ubi grammaticae praecepta id postulabunt, ambae enim hae formae saepe in uno eodemque documento alternis vicibus occurrunt⁵⁹; in documentis Italico idiomate scriptis accentus et apostrophi hodierno usui accommodantur; propositiones nimis longae in breviores, servato logico earum sensu, dividuntur. Servatur etiam, quantum possibile, originalis textus documentorum dispositio graphica.

De **apparatu critico**, quem vocant, quantus et qualis esse debeat, ad nostros usque dies inter editores acriter disputatur. Nimis enim amplae et copiosae explicationes, cum indicatione fontium et operum auxiliariorum, ab editoribus seriei *Nuntiaturredichte aus Deutschland* olim introductae, nimis extrahabant tempus, quo singula volumina parabantur. Propterea 21 V 1971 a. una congregati decreverunt apparatus criticum in posterum ad res maximi momenti reducere. Dolenter hoc consilium accepit de edendis actis nuntiatorum bene meritus Helmodus Goetz, qui etiam recordatus est Italos et Gallos in editionibus suis "minus necessario" lectoribus porrigere⁶⁰. Revera non est quidem laudanda inopia nec repetendi errores apparatus critici, quibus abundat Italica editio actorum nuntiatorum Polonae Francisci Buonvisi⁶¹, nec tamen imitandum esse videtur Ludovici Boratyński summae perfectionis studium, qui in annotationibus ad editionem epistularum Ioannis Andreae Caligarii insolita sane enituit eruditione, "non contentus operibus et fontibus iam editis, sed etiam nondum divulgatis usus est, quos magna ex parte in excerptis affert" ad singulas quaestiones occurrentes melius explicandas et illustrandas⁶².

Vitandae ergo tantae commentariorum abundantiae causa, quam ut caveant editores Polonos Stephanus Kieniewicz praemonet⁶³, in hac editione recepta est aurea regula, a W. Reinhard indicata, qui nos etiam meminisse iubet, apparatus criticum non opus sui iuris esse, sed finibus editionis subici debere⁶⁴. Introducuntur igitur non nisi brevissima indicia de vita et opera personarum, quae in textu occurrunt (annus, quo quis natus et mortuus est,

⁵⁷ Cfr. H. Goetz in NBD I/16, p. XXVII; W. Reinhard in NBD *Kölner Nuntiaturredichte* V/1, p. LVI; J. Wijnhoven in NBD *Kölner Nuntiaturredichte* VII/1, p. LXVII; F. Gaeta in *Nunziature di Venezia*, Vol. 1, p. XVIII.

⁵⁸ Hanc regulam recens secuta est D. Quirini-Popławska in editione litterarum commercii Sebastiani et Valerii Montelupi (*Korespondencja Sebastiana i Valeria Montelupich, 1576-1609*, Kraków 1986).

⁵⁹ Praeterea reiecta est regula, a Cracoviensibus litterarum commercii Caligarii et Bolognetii editoribus observata, orthographiam Latinam secundum normas "classicas" corrigendi (cfr. recensione E. Kuntze in KH 21 (1917), p. 166).

⁶⁰ Cfr. introductionem ad NBD III/6, p. XIX.

⁶¹ Cfr. supra, cap. II, p. 163.

⁶² E. Kuntze, KH 21(1917), p. 167.

⁶³ *O wydawaniu źródeł historycznych*, KH 90(1983), p. 158.

⁶⁴ Cfr. NBD *Kölner Nuntiaturredichte* V/1, p. LV.

magistratus, quos gessit etc.). Fontes eiusmodi indiciorum plerumque non afferuntur. Tantummodo in pariter brevibus explicationibus eventuum, qui in textu describuntur vel nominantur, dummodo magni momenti essent et ad Poloniam ac nuntium apostolicum spectarent, ponitur nota, quae ad principales libros vel fontes, de memorato eventu tractantes, remittit.

Tempori editorum parcere cupientes, longitudinem prooemiorum seu praefationum ad singulos tomos in 20-30 paginas statuimus. Amplissima et ob editorum eruditionem atque doctrinam admiranda proemia ad tomos a Ludovico Boratyński, Ceslao Nanke et Eduardo Kuntze, necnon a Germanis et Gallis editos, interdum 70-80 typis impressas paginas complectentia⁶⁵ et accuratam vitae et operae nuntiorum narrationem continentia⁶⁶, admiramur quidem, sed in eorum locum brevissimam, certis tamen fontibus suffultam personae nuntii descriptionem totiusque eius missionis in Polonia peractae aestimationem subrogare maluimus. Eiusmodi brevitatis eo vel magis commendanda esse videtur, quod prooemium solummodo in primo cuiusque tomi volumine (si tomus in plures partes dividendus erit) collocabitur, et propterea editores vix poterunt accurate explorare et examinare textus, qui non nisi post aliquod temporis spatium in sequentibus eiusdem nuntiaturae voluminibus parati erunt, ut typis mandari possint. Similiter et descriptio atque aestimatio fontium, qui tomum integrum implebunt, in primo tantum volumine ponetur, dum unicuique volumini simplex tantum adiungatur inventarium fontium et librorum, necnon index personarum et locorum in eo occurrentium. Indices vero rerum et argumentorum, quae in documentis tractantur, utpote qui nimis exigunt laboris et multum tempus devorare solent, omittere statuimus. Quae omnia eo contendere volunt, ut editorum operam faciliorem reddant et tomorum editionem accelerent. Neque alio spectat una eademque, omnibus tomis communis, **instructio** ad editionem Actorum Nuntiaturae Polonae, quam facta accurata investigatione praecedentium editionum conscripsimus et quam infra apponimus.

(Latine vertit Lucianus Olech)

⁶⁵ Ex. gr. ANG T. 2 habet 128 paginas introductionis, volumen vero quartum 132.

⁶⁶ Reinhard adducit etiam historiam totius gentis nuntii, cfr. NBD *Kölner Nuntiatur* V/1.

Instructio

1) Documenta, quae publici iuris facere intendimus, comprehendunt omnes legationes a latere, nuntiaturas, internuntiaturas, legationes extraordinarias, quae inde ab anno 1519 usque ad annum 1795 (id est ad regis Stanislai Augusti abdicationem, quae divisionem Poloniae subsecuta est) ad reges Poloniae et Rempublicam Utriusque Nationis (Polonae scil. et Lithuanae), ac deinde, Polonia pristinae libertati restituta, ab anno 1918 ad publicas Reipublicae Polonae auctoritates directe vel indirecte (ex. gr. legationes ad magnos duces Moscoviae missae, quibus saepe res etiam cum Polonis tractandae committebantur) a Sede Apostolica mitti solebant. Terminus "a quo", ut aiunt, a nuntiatura Zachariae Ferreri (1519-1521) incipit. Ille enim primus fuit nuntius, cuius legatio iam stabilior definiri potest, et qui longiore temporis spatio in Polonia commoratus est, omnibusque praeditus fuit facultatibus et documentis, quibus deinceps eius successores, nuntii stabiles et firmi, instruebantur. Terminus vero "ad quem" manet apertus, nam acta nuntiaturae II Reipublicae Polonae, quae in diversis rerum et temporum adiunctis operam suam praestare potuit, pedetemptim publicabuntur, prout ad ea inspicienda et examinanda a Sede Apostolica aditus permittetur.

2) Editio nostra inscribitur "**Acta Nuntiaturae Polonae**" et complectitur:

a) litteras, relationes et diaria legatorum ac nuntiorum, necnon legationis vel nuntiaturae officialium: auditorum tribunalis, secretariorum et negotia nuntiaturae ad interim gerentium;

b) litteras et documenta, quae ad legatos et nuntios nuntiaturaeque officiales dabantur;

c) documenta, quae ex cancellariis nuntiorum edebantur, ut sunt acta tribunalis nuntiaturae, processus informativi episcoporum et documenta, quibus indulgentiae, dispensationes etc. concedebantur;

d) novitates ("avvisi") a nuntiis ad Secretariatum Status missas;

e) maioris momenti documenta et epistulas aliarum personarum, a nuntiis ad Sedem Apostolicam missas, quae tamen in appendicibus tantum publicantur.

3) Editores rationem habere cupiunt omnium, quae adiri possunt, documentorum, quae supra in n. 2 a-d enumerantur, ea tamen lege, ut crescente eorum mole plura scripta non "in extenso", sed tantum "in registis" publicentur.

4) Regula editorum est, ut omnes textus, qui publicantur in extenso, edan-

saepissime fere eadem sunt et repetuntur, necnon clausulae, semper eadem, in documentis iuridicis (praesertim sub n. 2c enumeratis) contentae. Eiusmodi textus in documento primum occurrente adducuntur in extenso, in omnibus sequentibus abbreviatio *etc.*, cursivis litteris scripta, eis substituitur.

5) Textus inter se consimiles - indicata eorum origine et allatis, si quae essent, differentiis - ad textum iam prius editum remittuntur.

6) Scripta iam alibi, secundum normas in eiusmodi editionibus hodie omnino observatas, publici iuris facta et aditu facilia, nonnisi in regestis proprio sub numero publicantur.

7) In regestis etiam publicantur epistulae vel earum partes, quae minoris momenti esse videntur, ea tamen condicione, ut, si aliqua propositio vel fragmentum textus non prorsus omni pretio careat, in regestum convenienter inseratur.

8) Singulae epistulae et documenta, sub propriis numeris ordine chronologico posita, praedita sunt titulo (epistulae nomine auctoris et eius, ad quem datae erant) Latine confecto. Regesta, notae et apparatus, quem vocant, criticus, pariter Latino idiomate exarantur.

9) Nota ad originem scripti attinens, secundum ordinem, qui sequitur, conficitur:

- a) originale (etiam autographum),
- b) exemplar ab auctore vel in eius cancellaria confectum (*duplicatum*, litterae vel documenta in *registro* officiali relata),
- c) minuta (alias *conceptum*),
- d) exemplar (alias *copia*) originali contemporaneum,
- e) exemplaria posteriora,
- f) editio ex originali typis impressa,
- g) editio ex exemplari facta,
- h) editio ex alia editione typis impressa (*reeditio*).

10) Fundamentum editionis est textus in annotatione de origine documenti primo loco nominatus. Maiores differentiae - praesertim partes textus in minutis expunctae, omissae vel adiunctae - in notis sub textu positae significantur.

11) Editores enitentur, ut - quantum fieri potest - originalis scribendi ratio talis servetur, qualis in singulis documentis occurrit. Corrigitur nonnisi illa

verba, quae - praesertim in exemplaribus - evidenter erronee scripta sunt. In textibus Italico sermone exaratis etiam accentus et apostrophi ad usum modernum adaptantur.

12) Litterae grandes (maiusculae) et interpunctiones eo modo transcribuntur, quo exstant scripta in textibus documentorum, correctis solummodo iis, quae usum hodiernum evidenter laedunt.

13) Nomina propria transcribuntur ita, sicut occurrunt in textibus manuscriptis, opportunis explicationibus - si nomen evidenter nimis corruptum esset - in notis additis.

14) Cuiusvis generis abbreviationes, summaria et annotationes, ab editoribus in textum documenti introductae, litteris *cursivis* imprimuntur.

15) Litteris *cursivis* imprimuntur etiam summaria (regesta), tam ea, quae textum "in extenso" publicatum praecedunt, quam quae ei substituuntur. Quo casu maioris momenti documentorum originalis particulae, in summario ad verbum allatae, ordinariis litterarum formis exscribuntur.

16) In annotationibus sub textu positis adducuntur:

- a) nomina personarum et locorum in textu sine nomine occurrentium,
- b) praecipua "data" biographica personarum, in textu apparentium (anni vitae, officia, quibus tempore, quo documentum scribebatur, fungebantur),
- c) notae ad locos parallelos in aliis epistulis et documentis remittentes,
- d) notae ad opera, alias editiones et scripta in tabulariis asservata remittentes, quae tamen satis parcae sunt eo, ne labores editorum nimis extrahantur et retardentur.

17) Elenchus litterarum et documentorum, in singulis voluminibus editorum, in uniuscuiusque voluminis initio collocatur, quem sequitur index tabulariorum et publicationum, quarum in editione ratio habetur. Brevis introductio de persona legati vel nuntii, de forma et natura eius legationis vel nuntiaturatione, necnon descriptio fontium, quibus editores in paranda editione usi sunt, in initio uniuscuiusque tomi (non vero voluminis) collocatur.

(*Latine vertit Lucianus Olech*)

